

instituit novitiorum copiam monachili normae mancipavit, neophytisque optimos ritus rigidae conversationis tradidit. Tandem, vocante Deo in lectum decubuit, et, completis omnibus quae servo Dei rite competunt, reverenter obiit.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

**“ Exegesis ” Cantici Canticorum
apud scriptores Praemonstratenses saeculi XII finientis.**

Intentum nostrum in hac praesenti nota non est neque exigentias sanae exegeseos, iuxta antiquas et recentes instructiones S. Pontificis, exponere, neque historice proponere quomodo auctores et scriptores diversi generis saeculi duodecimi ac decimi tertii sub hoc respectu sese gesserint. Relate ad hunc ultimum respectum optima plura collegit. L. LECLERCQ, O. S. B., in suo libro : *L'amour des des lettres et le désir de Dieu*, Parisiis, 1947. Praemonstratenses veteres directe non considerantur in hoc libro. Pluries vero citantur textus scriptorum nostrorum in libro, documentis et citationibus fere immensis ditato, P. DE LUBAC, *Exégèse médiévale. Les quatre sens de l'Écriture*, I, 2 t. (Théologie, nr. 41), Paris, Aubier, 1959. Auctores Praemonstratenses, quorum opera edita fuerunt in Patr. Latina Migne, uti Adamus Scotus, Lucas a Monte S. Cornelii, Zacharias Chrysopolitanus, Anselmus Havelbergensis, Philippus de Harvengt, pluries citati deprehenduntur. Apparet ipsos omnino fuisse auctores spectabiles, tum ratione doctrinae expositae, tum ratione eorum dicendi comparata cum auctoribus suae aetatis ; quorum expositiones verum valorem obiectivum servant ad nostra usque tempora.

Ad aliud potius thema nos convertere vellemus in hac praesenti nota. Magis in specie considerare volumus ea quae ab auctoribus nostri Ordinis aetatis supra indicatae dicta fuerunt in eorum expositionibus « exegeticis » Cantici Canticorum. Constat Canticum Canticorum, eo tempore saepe constituisse textum qui inservire aptus esset considerationibus « spiritualibus » uti nostro tempore dicere solemus. Quod etiam in Ordine nostro evenit.

Recenter (anno 1958) duo prodierunt libri, qui hoc thema vel in genere vel magis in specie, exponunt. Primus, auctore Fr. OHLY, *Hohelied-Studien. Grundzüge einer Geschichte der Hoheliedauslegung des Abendlandes bis um 1200*, pp. 328. Ed. : Fr. Steiner Ver-

lag, Wiesbaden, thema propositum in genere tractat. Alter H. RIEDLINGER, thema idem sub respectu speciali prae oculis habet : *Die Makellosigkeit der Kirche in den Lateinischen Hoheliedkommentaren des Mittelalters*, pp. XXVII + 415 pp. Ed. : Aschendorff, Münster.

Libros istos, qui merito maximo cum plausu ubique accepti fuerunt, non ex integro conspicere vellemus. Solummodo simul iungere ea quae de expositionibus in Canticum a Praemonstratensibus aetatis supra indicatae scite proferuntur. Et quidem proferuntur in luce eorum quae in expositiones illas proicitur ex accurata notitia historiae exegeseos illorum temporum.

Texere historiam generalem exegeseos et expositionum Cantici Cantorum in praesenti non vacat. Sufficiat dixisse sub hoc respectu Origenem, S. Ambrosium, sicut et Aponium (saec. v) eminere inter Patres et scriptores ecclesiasticos. S. Beda similiter praeclara de hoc libro sacro scripsit. Apud S. Ambrosium elementa iam deprehenduntur explicationum e quibus auctores saeculi duodecimi interpretationem marianam Cantici haurient, quae deinde a plurimis inter illos, uti Philippus de Harvengt, splendide evolvuntur.

Gressum faciendo ad saeculum XII, omnino dicendum est saeculum istud plurima protulisse, occasione explicationum aut sermonum de Cantico, quae magistros, sensu stricto huius termini, ipsos fuisse probant. Canticum Cantorum ea aetate, potissimum in ambitu claustris, fuse adhibebatur a magistris vitae religiosae. Et quidem, in quantum fontes hucusque explorati ostendunt, in regionibus non ita longe inter se distantibus. Significatio autem Cantici sub duplici potissimum angulo proponebatur. Apud nonnullos sistitur potius in explicatione ecclesiastico : ita scilicet varii textus Cantici explicantur quasi in illis ageretur de Ecclesia in genere sumpta, uti Christus illam intenderat, vel de membris Ecclesiae, in specie de animabus qui unioni profundiori animae cum Deo intenduntur ; alii potius interpretationi marianae favent. Inter utrumque illud interpretandi genus adversitas quaeri non debet ; quodammodo ad unam quandam interpretationem magis universalem satis facile reduci possent. De cetero, auctores et oratores illi nullo modo explicationem scientificam textuum S. Scripturae proferre intendunt. Eorum intentum est mentes auditorum ac lectorum suorum excitare ad intimiorem cognitionem mysteriorum religionis ac adhaesionem profundiorum mysteriis illis.

Inter Cistercienses monachos eminet S. Bernardus cum pluribus sermonibus in Canticum : apud ipsum interpretatio mariana practice abest. Haec vero clare exponitur apud monachum celebrem O. S. B., Rupertum Tutiensem.

Aliis auctoribus omissis, quidnam de Praemonstratensibus illius aetatis sub hoc respectu dicenda sunt ?

Exordium facimus ab opere *Moralitates in Canticum* ; quod opus inter opera Philippi de Harvengt edi solitum est. Expositio autem ista Cantici potius tribuenda est Lucae, abbati Montis Corneli, in civitate Leodiensi (Cfr. G. SIJEN, in *An. Praem.*, XV, 1939, 146 s.). Sed, etiamsi auctorem huius expositionis indicare cum certitudine non possimus, ex eo quod dedicatur abbati Praemonstratensi, Hugoni, simul et Miloni, episcopo Tarvanensi (ex ordine Praem.), absque ullo dubio, in Commentario isto deprehendimus opus exaratum a Praemonstratensi et directe Praemonstratensibus destinatum. Per plurima certe iste auctor hausit ex opere Aponii in Canticum (saec. v) ; quem non raro simpliciter exscribit. Indoles autem expositionis ostendit auctorem hunc non componere voluisse opus « scholae », neque vitam stricte contemplativam prae oculis habuisse ; potius annumerandus est praedicatoribus, qui auditores imbuere volunt rectis conceptibus, eosque ducere volunt ad vitam vere christianam. Virtutes sectentur christiani, atque peccata e vita sua depellant. Modo auditoribus minus excultis aptato loquitur auctor noster. Unum textum citare liceat : « Liquet ergo, quia pro peccatis praeteritis luget, praesentia cavet, pro futuris exorando timet, omni modo ab omni peccato immunem se exhibet. Sic demum ad illam virtutem, quae impeccantia dicitur, redit, in qua Deus ad imaginem suam primum hominem creavit » (PL., t. 203, col. 499). Ut reditus ille ad innocentiam deperditam facilius obtineatur, invocetur B. Virgo, de qua « Ecclesia catholica pro certo tenet et credit, quia beata Maria inviolata permansit, de nostra corrupta natura et peccatrice massa originem traxit » (l. c., col. 566). Postea tamen facta est « speculum sine macula divinae Maiestatis ». Et summa cum fiducia invocanda est : « Obsecro iterum mea Domina millies plusquam carissima, servulos tuos qui te libenter honorant, et tibi devote serviunt, et de te quod dignum est decenter loquuntur, precibus et meritis suis omnes adiuva, et sustenta, conforta ab omni peccato, conserva et perduc illos ad immortalia filii tui gaudia... Qui ergo in capite, hoc est, in mente, viciorum telis vulnerati dolent, isti sine dubio necesse est ut auxilium et opem sanctae Dei Genitricis Mariae implorent, et ex in-

timo affectu cordis dicant : Sub tuum praesidium confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem, et propter hoc Dei Genitrix virgo tuae dignitati referimus gratiarum actionem » (l. c., col. 519).

Sane, auctor harum « Moralitatum », non raro protrahit expositiones suas. Ita, ut unum specimen afferamus, septem thematibus exponit primum versiculum Cantici : Osculetur me osculo oris sui, de relationibus nempe inter Iacob et Rachel, inter Deum et humanitatem, inter Christum et Ecclesiam, inter Filium Dei et B. Virginem Mariam, inter Christum et animam, inter pacem et iustitiam, inter lilium et violam.

Etiam S. Ioseph-Hermannus in textibus antiquis tribuitur expositio in Canticum Cantorum. Cum autem textus huius expositionis ad nos usque non pervenerit, plura de illa dicere non valemus. E « Vita » Sancti vero deducimus Sanctum istum hunc librum S. Script. ita esse interpretatum ac si in illo ageretur directe de habitudine Christum inter et Sanctam eius Matrem, quam Hermannus vocat « Rosam speciosam », aut « columbam formosam ».

In PL, 206, coll. 17-862, habentur *In Cantica canticorum commentaria*, quae composita dicuntur a THOMA CISTERCIENSI. Accuratus inquirere quis sit iste Thomas Cisterciensis non intendimus ; sufficiat notasse haec Commentaria, saeculo decimo septimo, a quibusdam tributa fuisse Thomae cuidem Viconiensi, canonico proinde abbatae Viconiensis, O. Praem. (cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, II, Bruxelles, 1902, p. 243). Cum pro tali asserto nullum argumentum positivum proferatur, nullaque assertio antiquior saeculo decimo septimo, in hac assertione immorandum non est, neque — nisi argumenta alia probantia afferantur — ipsi fides adhibenda non est.

Opus praeclarissimum, doctrina theologica refertissimum, de Cantico Canticorum conscripsit PHILLIPPUS DE HARVENGT (cfr. *An. Praem.*, XXXII, 1956, pp. 147-154). Auctores, quorum libros prae manibus habemus (OHLY et RIEDLINGER), de opere Philippi nostri fuse agunt.

Extollitur venustas linguae Philippi (cfr. G. SIJEN, in *An. Praem.*, XV, 1939, p. 131 s.). Ita scribit K. POLHEIM, *Die lateinische Reimprosa*, Berlin, 1925, p. 408 : « Im nördlichen germanisch-romanischen Grenzland, wo im Bereich der Schelde und mittleren Maas Nieder-

franken und Wallonen aneinandergrenzen, in den niederfränkischen Dialektgebieten des Flämischen, Brabantischen und Limburgischen, erfuhr die Reimprosa ganz besondere Pflege und gedieh zu besonderer Blüte... Die Höhe scheint im Hennegau Philipp von Harvengt zu erreichen, der 1183 starb; er ist in Regelmässigkeit und Kunstform kaum zu übertreffen ».

Non solummodo sub respectu venustatis linguae adhibitae, sed etiam ratione eruditionis humanisticae quam redolent, Commentaria ista attentionem nostram merentur. Ita novit tractatum « De amicitia » Ciceronis. Audi Philippum argumentem : « Quia vis cum volo, et cum nolo non vis, meam recte dixerim te amicam, attendens cunctis voluntatibus mihi displicentibus inimicam. Cui dicto non solum praesens veritas Canticorum, sed et verax sententia digne concinit ethnicorum » (PL, 203, col. 314). Citantur Ovidius, Terentius, Virgilius, Horatius, Cicero, Boethius, Aristoteles, Porphyrius, Socrates, Plato, Cato, Pythagoras. Videtur notitiam aliquam linguae hebraicae habuisse (l. c. 341).

Philippus Canticum interpretatur de B. Virgine Maria. Praeter elementa mariologica in *An. Praem.*, 32, 1956, 147-154, indicata, alia talia themata indicari possunt plurima. Inter illa : Maria « imperatrix » dicitur (l. c., col. 260, 360) ; Apostolis mysteria Incarnationis indicavit (col. 214, 253) ; nobis exemplum praebet contemplativae vitae, totaliter imbuta vita Christi (310, 429, 446). Iteratis vicibus loquitur de compassione Mariae in passionibus Christi : « Quidquid ille patitur iussu Patris, naturalis fundae circuitu redundat miserabiliter in cor Matris (col. 225). — « Quis penset mater affectuosa quantam in animo tulerit laesionem, quo affectu ad cor suum retulerit filii passionem ? Adeo inventa est mater pro filio doluisse, ut quod in carne filius, credenda sit mater in animo pertulisse, eique non clavorum, sed dolorum spicula sunt infixae, et ipsa cum filio vivens cum mortuo crucifixa... Quis ergo dubitet eam martyrem extitisse, quam sic invenitur dolor intimus afflixisse » (col. 125).

Maria « monstruoso quodam miraculo » (col. 478) alias creaturas superat. Quod alibi Philippus ita splendide evolvit : « Quid autem dignius, quis potest coelum convenientius appellari, quam virgo, quae meruit tot virtutum sideribus adornari, quorum fulgor varius molestas mitigat tenebras huius vitae, dum ad conscientiam revocat errores multitudinis imperitae ? Ipsa lumen protulit, quae nocte caligantibus eluceret, cum forma et doctrina sanctos apostolos erudivit, quorum conversatio lumen necessarium terrarum habita-

tionibus impertivit. Ipsa denique virgo, sive coelum, illud minus protulit luminare, quod mundo languescenti remedium plenius contulit salutare, quod, quia solus Deus est, nec ei potest alius coaequari digne sol appellatus est quodam privilegio singulari » (col. 229).

De munere materno quod B. Virgo continua ratione exercet erga membra Ecclesiae, plures textus collegit atque ordinavit. F. PETIT, *An. Praem.*, XIII, 1937, 104-107. Crescentibus necessitatibus animarum, ad ipsam fidentius recurrant fideles : « Quae, si nostrum refflorere florem viderit, senserit et odorem, non negabit surgere et impendere diligentiam gratiorem, et quae suis adulescentulis inventa est misericorditer subvenire, nobis longe miserioribus ampliorem misericordiam dignabitur impertire » (col. 323).

Ex his, succinne relatis, merito haec conclusio deduci potest : In « Commentariis » in Canticum, quae a Praemonstratensibus plus minusve versus aa. 1250-1300 exarata fuerunt, thesauri doctrinae theologiae ac « spiritualis » ditissimi habentur.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Een greep uit de abdij-bibliotheek van Dilegem.

In de kloosterbibliotheek van de Redemptoristen te Jette, berusten, afkomstig uit de aloude abdij van Dilegem, een aantal boeken, in bruin leder ingebonden, op wier titelblad als op de rugzijde met de hand geschreven staat : « Ex Libris Jos. Jois Vanden Block Can. Praem. Abbatiae Dilig ». Een vijftigtal, een greep uit de oude schatkamer van de abdij ; hoe klein ook het getal in verhouding met wat de boekerij bevatte, toch loont het de moeite ze even te bespreken ; het is interessant en instruktief hierover preciese gegevens te bezitten, daar dit de mogelijkheid opent de cultuurwereld van de Dilegemse Norbertijnen beter te leren kennen. Elk objekt uit die verdwenen abdijen heeft een interessante en soms dramatische geschiedenis.

De hand van Jozef Joannes Vanden Block schreef het jaartal aan van de aanwinst : 1769, 1773, 1778 enz.

Geboren te Brussel in 1737 werd hij te Dilegem geprofest in 1760, priester in 1763 ; hij vervulde in de abdij verschillende functies tot aan de suppressie ¹⁾.

¹⁾ J. B. VAN BAVEGEM, *Het Martelaars-Boeck der Belgische Geestelijkheid ten tijde der Fransche Omwenteling*, Gent 1875, blz. 40.